

05

A

626



9.
F. N. 7.
De

SEPULTURA JESU

ex Occasione dicti Jes. 53.9.

EXERCITATIO

Quam

in Alma Wittebergensi Academia

SUB PRÆSIDIO

Admodum Reverendi Amplissimi & Excellentissimi

VIRI

DN. JOHANNIS *Deutschmann* D.
& S. S. Theol. Profes. Publ. Extraord.

Ejusdemq; Facult. Adfessoris gravissimi

Dn. Præceptoris, Fautoris & Hospitis semper observandi

Doctorum Examine subicit

SAMUEL COCUS

Godebusco Mekelb.

Ad diem 21. Martij A.O.R.M.DC.LXI.

In Atrio Majori

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI,



05 A 626





Saluberrimis monitis ad Christi Salvatoris cruentam & me-
ritoriam Passionem recolendam excitantur hoc tempore ec-
clesiæ: In cathedris publicis piè eandem Passionem resonari
audimus: Eandem gravissimè tam volumen V.T. quam N.
Testamenti Codex inculcant: Præprimis huc trahitur aureolum
Pauli 1. Cor. XV. 4. $\chi\rho\iota\sigma\tau\acute{o}\varsigma \alpha\pi\epsilon\theta\alpha\nu\epsilon\nu \upsilon\pi\epsilon\rho \tau\acute{\omega}\nu \alpha\mu\alpha\rho\tau\iota\acute{\omega}\nu \eta\mu\acute{\omega}\nu$
 $\kappa\alpha\tau\grave{\alpha} \tau\alpha\varsigma \nu\epsilon\gamma\phi\acute{\alpha}\varsigma \kappa\alpha\iota \epsilon\tau\acute{\alpha}\phi\eta$: hujus intentio; nobis omnia ad no-
stram justificationem facientia proponere. Christum i.e. ejus to-
tum suppositum, nominat, ut Salutis nostræ initium & Causam
meritoriam, $\alpha\pi\epsilon\theta\alpha\nu\epsilon\nu$ autem dum dicit, intelligit in tali constru-
ctione, dolorosè, expiatoriæ, compensatoriè, satisfactoriè mori-
entem & redimentem Christum Phil. 2. 8. 1. Pet. 1. 18. 19. 1. Cor. 6. 20.
c. 7. 23. Matt. 20. 28. Ps. 69. 6. more Sacrificialium pecorum Lev. 17.
11. Jo. 1. 29. Apoc. 13. 8. cujus tota, Activa & Passiva obedientia, vice
nostri præstita (id enim volunt voces $\upsilon\pi\epsilon\rho \tau\acute{\omega}\nu \alpha\mu\alpha\rho\tau\iota\acute{\omega}\nu$ 1. Petr.
2. 21. Ro. 9. 3) pro singulorum hominum ($\eta\mu\acute{\omega}\nu$) Peccatis Culpa &
Pena Ro. 8. 23. 2. Cor. 5. 22. ($\alpha\mu\alpha\rho\tau\iota\acute{\omega}\nu$) juxta Scripturam Luc. 24.
46. vel ex sensu Scripturæ sc. Gal. 2. 20. Ro. 4. 25. cum 1. Cor. 1. 30. Ro.
8. 32. quæ loquendi formula Fidem, qua hanc meritoriam Satis-
factionem quisq; sibi primâ Fidei $\epsilon\nu\epsilon\gamma\gamma\epsilon\iota\alpha$ applicat, involvit Eph. 2.
8. Phil. 3. 9. 10. Gal. 2. 16. Luc. 2. 34.

Uti vero mors, totaq; Ejus obedientia, indivulsè complican-
da, ita quidem, ut si alicubi in Scriptura mentio fiat solius resur-
rectionis, non tamen ea Passionem, Crucifixionem & Mortem
Christi ibi velit exclusam, sed potius inclusam & præsuppositam,
eodem modo nec mors à Sepultura, tanquam illam comitante, se-
jungenda Luc. 18. 31. 32. 33. Ps. 22. 16. Matt. 12. 40. Luc. 24. 46. 20. Se-
pultura autem Christi spectatur partim in Predictione, partim
in Executione: Illa vel sub V. T. vel sub N. T. Veteris T. consistit
vel in Typis, vel in Dictis, horum quoddam nostrum Jesaianum,
quod simul durissimum quendam nodum, Interpretibus, Viris
Summa Prudentia instructis etiam Hebraicè ad stuporem usq;

edoctis, subinfert, cui solvendo כִּי יִי הַטּוֹבָה עָלַי ut nostram
addicamus operam tum Sacri presentis temporis ratio, tum Pro-
pheta Majestas postulare videtur: Omnem interim vitilitigandi
studium longe abesse percipio, nec enim immeritò olim ille: Meritò
tam insolentem effractorem hac Diva (Sapientia) averfatur, qua
tantum à supplici & modesto vultu donaria sibi offerri gaudet, ea-
demq; sui Cultoribus benigna reddit manu. Sum cultor: Euge
Sapientia Summa da TE mihi ut TUI Spiritus saluberrima effata
dignè tractentur, rectè evolvantur!

Methodus Tractationis, quo plenius constet, talis futura:
Textum, quoad fieri poterit, à varijs Ellipsis supervacaneis,
alijsq; Anomalijs liberabo: Sensem ejus genuinum & literalem inda-
gabo, annotatis simul aliorum Doctissimorum Interpp. expositio-
nibus: Et quæ circa Sepulturam Benignissimi nostri Servatoris
JESU Theologicè notanda, quantum hujus Studij Penetrabilia mihi
percognita, inspersa, observabo. Hæc prædicta si quædam conti-
neant, quæ primo obtutu Aliorum expositionibus vel contraveni-
re, vel non satis congruere videantur, modestè ab illorum Sum-
morum (quos submisisse veneror) Virorum sententia, citra tamen
jacturam vel honestæ famæ, vel decumata eruditionis, secessum fa-
ctum, cui vis Benevolo patebit.

In antecessum tamen, quod & inter Nostrates concessum
iri spero, notari velim 1. Capitis, Prophetæ nostri, totius, scopum
unicum Christum θεῶν υἱὸν, ejusq; Passionem esse, quod ex
multiplici Evangelistarum & Apostol. allegatione Matth. 8.17.
Mar. 15.28. Luc. 20.37. Act. 8.32.33. Ro. 10.16.c.15.21 1.Pet. 2.22.24.
Paraphraseos Jonathæ, apud Judæos auctoritatis penè authenticæ,
attestatione; Ipsorumq; quorundam Judæorum (conf. Aben Esra
Commentarius) confessione, in Tom. Giess.4. Diss.4. nos isto onere
sublevans doctissime D. Helvici astruit. p.m. 43.2. Prophetam,
quædam efferre de Consilio S.S. Trinitatis, dominantis Messiam,
secundam Personam ad Officium Redemptionis subeundum, quædam
de Messia in Officio isto, Infimoq; Exinationis gradu jam constitu-
to, proponere. 3. Complementum omnium Circumstantiarum Pas-
sionis, posse, imò debere, si non quoad αὐτὸς ἑξῆς, attamen κατὰ
διὰ νοῦν ex N.T. comprobari. 4. Sepulturam certò hie insinuatam,
secun-

secundum principales actus indicari, & quidem tantum in hujus capitis versu nono. 5. Omnem corruptelam vel depravatam lectionis, vel inversi processus hinc exulare, e contra historiam Passionis, maxima curiositate, claritate. concinnitate, absque Contradictione descripta, eundem ordinem & Processum, Sepulture, qualis presenti loco insinuatur, referre. 6. τὸ ἐν τὸν constanter servandum, usq; dum vel complementum vel loca Parallela aliud monstrent. Sequitur ergo ipsa.

TRACTATIO.

§. I.

Verba in Fontibus ita prostant: ויתן את רשעים קברו וארץ עשיר במתיו על לנת חמס עשוה ולה
 Hæc, postquam singulatim, quæ sub Controversiam veniunt, evoluta, & à corruptione, vel dura versione vindicata fuerint, versionem satis planam exhibebunt.

II. Primum horum est ויתן a Radice נתן: Quodnam subjectum indicet, lis maxima est penes Cl. Interpp. vel enim absolutè positum, sunt qui existimant, hoc sensu, *Et dedit* scil. *populus, improbis* (i.e. Pontio Pilato qui Gentilis & dives fuit, quales ab Hebræis רשעים appellantur, conf. Lexicon Talmud. Cl. Buxtorf. col. 2293. quos imitatur N. T. Act. 2. 23. Gal. 2. 15.) *sepulcrum ejus* (Christi) & *diviti* (qualis itidem Pilatus qui pro in donavit corpus ejus Josepho) *in mortibus suas* i.e. hæc traditio populi, tum sibimetipsis, tum filijs eorum præsentissimum exitium dedit Matt. 27. 25. q. in textu לרשעים & לעשיר ut sit Enallage ארץ pro ארץ ut Exod. 34. 23. Lev. 13. 49. vel ipsi Christo attribuendum autumant, q. d. Propheta: *Et dedit* (Christus) *impietates* (peccata mortalium) *sepulchro suo,* & *in mortibus suis* ipse dives Eph. 1. 7. 8. c. 2. 5. 14. Jo. 20. 7. Rom. 6. 9. 10. 2. Cor. 13. 4. Ro. 6. 4. vel ad Deum Patrem referendum: *Dedit cum impijs sepulturam ejus* i.e. impia habita fuit à Sacerdotibus & Phariseis, qui ne quidem jam sepulto Christo tranquillis animis conquiescere potuerunt: sive quod idem: Christus coram Deo & hominibus *reatum & supplicium ignominissimum*

non aliter sustinuit, ac si fuisset impius usurarius & rapacissimus Tyrannus.

III. Ulti autem pro varietate subjecti varia explicatio, ita וְ ipsum varijs suis significatibus (conferantur modò Lexica) varios scrupulos iniecit. *Alijs* enim per *tractare* & *habere*, *vertere* allubescit, prout sumitur Gen. 42. 30. 1. Sam. 1. 16. quæ est sententia Dn. D. Feurborn. Fasc. 2. Disp. 2. th. II. *Alijs* est *posuit*, quo significatu occurrit Gen. 1. 17. c. 9. 13. quam approbat Dn. Glass. in Gram. Sac. item Nobiliss. & Magnificè Rever. Dn. D. Wellerus in Explic. hujus Cap. p. 95. *Quidam* vertunt, *exposuit* quibus subscribit Dn. Tarnovius in Exercit. & Comm. in hoc Caput.

IV. Plurimis verò Radicib. primarium & proprium quendam significatum inesse, pro certo ab omnibus Philologis haberi, mihi persuadeo, nec tamen sum nescius, multas, significatus planè contrarios admittere, alias, simplicem & compositum significandi modum simul involvere: Hujus ergò verbi וְ propria significandi ratio evolvenda, quæ non alia nisi, *dare*, *alijsq; quæ data sunt exponere*, & sicubi de judiciaria Dei potestate occurrit, pro ratione subjectæ materiæ, in bonum vel malum, exponendum venit, per, *permittere*: Quandoquidem autem v. 6. ipse Deus Pater, qui Christo omnium dolorum causa, cujus consilio seipsum obediens permisit v. 7. 8. etiam versu proxime sequenti 10. ut Causa princeps mortis Christi introducitur, qui partim omnium peccata in illum incurrere (וְ mit vollem hauffen auf einen zustossen / conf. item quæ doctè Doctiss. Franz. In Schol. Sacrif. Disp. 22. §. 40.) partim eum sepeliri perpessâ morte voluit v. 6. 9. quod posterius ejus *consilium*, confer. & expendatur Act. 2. 23. c. 4. 28. presenti versu exponit Propheta, quasi versui sexto hoc agglutinans, una eademque particula *Vav*, cujus significatio propria & genuina, si retineatur, etsi Dn. Tarn. *qui*, vertat, collatis exemplis Psal. 5. 12. Amos. 1. 4. 7. 10. 12. Hos. 12. 4. significatione perrara, nil veritati abreptum iri confido.

V. Piè h. l. possemus considerare *τὸ dare* Dei Patris *Gratiosum* Jes. 9. 5. Joh. 3. 16. quod aliàs missionem Filij Dei vocat
Scriptura

Scriptura Gal. 4. 4. Jes. 49. 6. & *Judiciarium*, quo Filium suum mille mortibus loco nostri exposuit, ut nos omnia cœlesti & corporalia bona gratis per ipsius meritum possideremus Rom. 8. 32. In simul donationem Pilati (apertè enim, qui putant pretio numerato emptum Corpus Christi, refutantur à Marc. 15. 45. & Ciceron. l. 15. in Verrem t. 118. 119.) qui magni numeris loco Corpus Salvatoris Josepho donarat, non quidem ex ipsius Pilati æstimo, quam Corporis Salvatoris Josepho dati pretio, quum emphaticè Marcus ἐδωκεν, conf. 2. Pet. 1. 3. 4. adhibeat, unde illud: Corpus Christi δωρεν, donum optimum, cœlo & terra pretiosius, à pio homine petatum, à nequam homine datum. Homines enim hujusmodi insuper dona Dei habere, in confesso: Nec est ut quispiam Matthæum c. 27. 58. huic effato reclamare contendat; δωρεν enim simpliciter per dare exponendum in nonnullis locis venit, Matt. 22. 20. Act. 4. 33. quod probè advertens Syrus, reddit: ופקד פילטוס רנתיהב לרה פנרה vel si notio reddendi, retineatur, respicitur ad Passionem præcedentem, quando jam ante Pilatus id tradiderat Judæis & militibus Judaicæ crudelitatis administris, jam verò donationem illam q. revocat & Josepho honestè illud sepeliendum donat: ut ad h. l. Harmon. Gerh.

VI. Missis hisce impræsentiarum, Alterum quod Doctissimos quosque Interpretès fatigat, examinamus, quod est Partic. נת quam quidam, inducti auctoritate locorum Gen. 5. 22. c. 41. 21. Exod. 1. 1. 2. Sam. 7. 12. Jesa. 28. 15. vertunt cum: Rectius fortè egerim, duce Nobil. maximè Rev. & Magnif. D. Wellero, si hujus etiam propriam rationem attendam, ut sit maneatq; nota Accusativi, verbis Activis (quale etiam נת) subjectum, præsertim, cum nulla aliò delabandi, cogat necessitas, insuper quoque retento hoc respectu satis clareat sensus.

VII. Idem voci רשעי evenit quam Alij cum D. Glassio ex singulari רשע formæ נשע faciunt pluralem, qui tamen nullibi, Concordantijs si fides habenda, reperietur, potius

tius omnes Plurales, hæ, ex Singul. **רשע** formant, hoc ergò solitarium exemplum, pro ijs haud militabit, utpote, quod adhuc sub Controversiam venit: Et dato, abstractivam hanc significationem h. l. obtinere, nonne hæc Enallage etiam sequenti voci **עשר** inferetur, quasi pro **עשר** textui inserta quod cuilibet considerandum dubitativè ex Dan. 9. 24. adhuc, proponit D. Glass. Gr. l. 3. tr. 1. Can. 2. p. 4. vel *dives* dicatur pro eo *qui confidit divitijs* qualis ut plurimum solet esse improbus Matt. 19. 24. qualis Interpretatio minus videtur necessaria: Potiùs eò omne nostrum studium tendere debebat, ut servato, quantum in nobis concinno fatis, Sp. S. usitato, loquendi modo, aptè nostrâ Vernaculâ, vel alijs Linguis eundem exprimamus, ne per nos turbidè limpidi rivi fontium Israel fluere cogantur: nec est ut quis eò confugiat: Ita tolli maximum fructum & finem sepulturæ: Hoc enim est quod nego, piè scilicet ex dictis etiam hujus capituli, imò hujusce versus, quamvis non primo intuitu quilibet hæc perspiciat, elicietur: quod si autem Scriptura non in omnibus eundem edoceat, anne per Te dica scriberetur Scripturæ, vel Spiritui S. per eam loquenti: Olim cum tale quid objiceretur Dn. Tarnovio. Ita inquit: Quin potiùs existimo, si voluisset Scriptura illa denotare, sibi usitatis usa esset vocabulis. Exercit. Bibl. Edit. 3. p. 321. Maneat proindè notatio **רשעים** quam R. Kimchi, dat in Comment. ad Psal. 1. cum Aben Esra: **ענין הרשע היא החרורו** i. e. significatus vocis **רשע** importat commotionem q. d. significat vox **רשעים** homines mente iniqua & turbulenta, quibus nulla pax est: una voce: Improbos: quo & collimare video Magnif. D. Weller. p. 97.

IIX. Succedit vocabulum **קברו** quam absque Ellipsi **ב**: secus quam faciunt quidam cum D. Glassio: exprimere possumus *Sepulchrum ejus*, quicquid objiciant de voce **במתיו** ex Gerh. Tom. 9. p. 873. hæc enim propullularet, hoc posito, versio: Et dedit improbos in sepulchro suo, quod sepulchrum aliter describitur à Jo. c. 19. 41. quin **מותו** Statum hominis Christi indicat, qualem non infert in tali oppositione vox **קבר** (non ergò

ergò contra nos militat Jes. 38. 18.) taceo sic concinnius ad-
hibitam vocem קבורה: Vocabulum קבר enim receptacu-
lum commune corporum post mortem notat, speluncam se-
pulchralem Rabbinicè uterum, quòd quandoque mortuo infan-
te sepulchri vicem præstet. Hujus forma) ut paucis ex כבן
כבן huc referam quæ citat Gerh. in Harmon. Evang. cap.
6.) describitur: Quod soliti fuerint Hebræi Cavernam in
Petra excavare longam sex, latam verò 4. cubitos, in illa au-
tem caverna octo (secundum alios 13.) excavabant forami-
na ad singula corpora reponenda: quia non sepeliebantur
singuli separatim à suis, sed tota familia in Spelunca una,
conditis singulis corporibus in separatis foraminibus.

IX. Patrum Sepulchris inferri, uti inter Hebræos glo-
riosum, ita econtra maximum inter eosdem fuit dedecus, si
quis Sepulchris Patrum suorum non mandaretur, proinde
Scriptura quasi speciem quandam maledictionis ponens,
dicit Jesa. 14. 18. 19 Omnes Reges Gentium, quotquot sunt, oc-
cubuerunt gloriosè quisque domi suæ: Tu verò abjiceris è
sepulcro tuo, ut furculus abominandus, ut vestimentum
interfectorum onustorum crebris ictibus gladij: ut descen-
dentes ad lapides foveæ, ut cadaver proculcatum: conf. Ier.
22. 19. 2. Chro. 21. 20. Moris enim apud illos, ut rei mortis, fla-
gitiosi, & notoriè infames à Synedrio morte afficerentur,
qui non in Sepulchro Patrum suorum sepeliebantur, sed duo
publica Sepulchra pro his erant ordinata, in quæ reponeban-
tur, donec caro consumpta foret. Post ossa effodiebant,
& in Sepulchris Patrum ipsorum sepeliebant, prout tradit
Rambam in Stat. de Syned. c. 14. & R. Kimch. ad 1. Reg. 20.
30. quæ si accuratiùs perpendantur, hîc loci minimè spernen-
dum suppeditabunt usum, nec enim vel tumultuariè Sepultu-
ram procuratam; nec sub ipsum Sabbathi initium, quod ex voce
וַיִּצְאֵם, Matth. 27. 57. ad Calendas Græcas probabitur: nec au-
daciâ Josephi culpabilem, manifestabunt, interim conf.
Phil. 1. 14.

B

X. Tan

X. Tandem restant voces בַּמָּוֶת & עַל quarum *primam* simpliciter verto: *in mortibus* i.e. omnis generis afflictionibus, quæ potissimum, quod Christum Servatorem attinet, in morte ejus eluxerunt, conf. Exod. 10. 17. Psal. 18. 6. nec enim cum illis facio, qui, *Excelsa* hac voce designari volunt, quæ forma semper occurrit cum initiali Kamets: fusè hæc ventilantem D. Glass. in Phil. l. 1. tr. 1. p. 107. confer. Potius pluralem ex singulari מוֹת assero, eundemque adhibitum, ut maximæ afflictionum, dolorum aliaque mortis genera emphaticè insinuentur, ut fit 2. Cor. 11. 23. quæ eò vel maximè spectant, ut oblitteratam & à memoria hominum sublata omnem recordationem Mediatoris, hostes cuperent, videatur Psal. 41. 6. qualis locutio etiam observari potest Psal. 22. 4 & 73. 22. Prov. 9. 1. quam & rectè credo à Cl. Interpretibus, præsertim Dn. Tarnovio, Accademiæ Rostochiensis olim Sole oriente & oculo, maximeque felici (uti jure merittissimo Sixt. Aman. in Parænesi, hoc elogio eum ornat) Scripturarum, Interprete, observatum in Commentario suo super hoc caput p. m. 460. & in Exercit. Bibl. p. 99. 100. 599. 602. Alterum עַל dum vel מַה עַל aut לְמַה עַל interrogativè *cur verò?* q. rationem daret cur tot tantaque passus. vel אֲשֶׁר עַל eò quod, sive pro eo quod non fecit &c. vel quamvis cujus significatus locum perdifficile cum D. Glass. Gram. l. 3. tr. 6. Can. 12. p. 547. puto dari posse. vel propter quod q. עַל עַקֵּב reddunt: quæcunque versio approbetur, dubium post se relinquere videtur: quamvis עַל pro אֲשֶׁר עַל tolerabilius: ut rationem reddat, cur sententiæ Iudæorum non adstipulari voluerit Deus, sed potius Josephum elegerit, qui sepeliendi officium exequeretur, scil. eò quod Christus maximè innocens vitæ esset, etsi Scriptura hanc sententiam potius per וּ sive כִּי & כִּי עַל exprimere soleat, quorum posterius significat innocentem, qui à Judicibus damnatus, post insons invenitur (רַשִׁי Exod. 23. 7.) conf. 2. Sam. 14. 9. Jer. 26. 15. Gen. 40. 15. conf. jam Glass. loco §. 7. allegato: Iunij glossam enim unà cum Dn. Tarnovio h. l. minimè attendo, conf. c. l. 462. & Exercit. Bibl. p. 604.

p. 604. Potius me, omnis ut ellipsis vitetur, illis junxerim, qui על alibi nominaliter vertunt, *Supremus*, quod facit R. Kimchi ad Hof. 7. 16. collato c. 11. 7. ut absolute h. l. in *Vocativo* ponatur, quod & accentus Regius Iethib postulare, locaque Eccles. 8. 1. Psal. 119. 136. Job. 16. 17. comprobare mihi videntur. Quin על Particulam, cum alijs, suæ ætatis decus Cl. Dieu, Patach habere putat, quoties cum sequenti constructur, Kamets cum absolute & adverbialiter sumptum significat *supra, sursum*, quorum neutrum huic loco quadrat, ob Makkaph, אל cum אמת arctè necessentem virgulam: non obst. Gen. 32. 26. 28. וי enim semper & ubique est conjunctio. Thef. Bux. 330. & Jes. 3. 24. commodè verti potest certè ut Hof. 8. 6.

XI. Paullùm digrediens lubet penitiùs in loca citata, *salvo rectiori judicio*, inquirere, an præsentì materiæ faveant, an minus. Locus Hof. 7. 16. ita habet על לא על ad quem locum Tarnov. ex Junio: A Deo ita tractati ut respicerent, admonitiq̃ his verbis, si vis reverti, revertere ad me &c. Jer. 4. 1. *revertuntur, sed non ad Excelsum* seu supremum, qui est Deus, ex 2. Sam. 23. 1. Vir constitutus Dei i. e. à Deo, conf. Thef. Buxtorf. 1. 2. c. 3. Reg. 4. p. 371. quod quando Cl. Ludov. Dieu in Animadv. vertit, revertuntur, non sursum, nimis dilutum videtur, præsertim cum Hof. 11. 7. manifestè Ellipsis על אל insinuetur (quod & probè advertit Dn. Glassius, על pro על dicens positum in Gram. Sac. p. 683.) his verbis ואל על יקראו quem vertunt, *quamvis ad Excelsum*, (Deum) *revocent* (Prophetæ) *eum* (populum): Et hoc quidem satis commodè: ubi præterea observant idem על per Patach legi, quod si nostro instituto non faveat, nil credo aliàs favebit: nec est ut quis Masoram parvam h. l. mihi objiciat, cum Castigationes hujus & Magnæ Cl. Buxtorfij in vulgus notæ, insuper taceant de ea voce Magna & Finalis. Sed producamus & reliqua: Job. 16. 17. quid vetat vertere: *O Deus Excelse, non est violentia in manibus meis, & oratio mea* (qua te supplex auxilium posco. ו תפל) *est pura,*
B 2
conf.

conf. à. v. ii. nã eò delabamur ut על h.l. cauffaliter fumamus
eum Junio, *propterea quod non est*, q. reddat hãc ipfa parti-
cula cauffam liberè ad Deum loquendi, ut judicem, & cum
Cl. Coccejo, quadam *παρρησία* & fiducia ſpei postulandi
quod Deus vitebatur promiſſiſſe: quæ utut vera ſint ſuo
loco, quomodo ex על hujus loci educantur minimè certè
video.

XII. Pſal. 119. 136. hęc ponit שמרו תורתך על ל
quid cauffæ eſſet ut hic Ellipſin אשר ſingamus, idem culpat
in רך Mag. Rev. D. VVel. ad v. i. p. 28 quæ, ſi uſquam ali-
bi, certè h.l. ex contemptu trium præcedentium verſuum,
& accentuationis orta, ſcil. conqueritur David v. 134. de
oppreſſoribus qui ſe ab obſervatione legis divinæ retrahere
tentant, Deumque ſibi ut ſit auxilio adverſus horum violentiam,
implorat v. 135. & quidem largis lachrymis v. 136. ratio-
ne addita; memb. 2. ſcil. ô Deus, Te quod attinet (Theſaur.
Cl. Buxt. l. 2. cap. 10. p. 432.) hoc ipſo non cuſtodiunt legem
Tuam. *De Accentuatione* quod monui, quamvis non in
omnia verba Doctorum juraverim, nec *illam* mordicus de-
fendere hætenus animum inducam, cum præſertim gravis
Adverſaria in nonnullis locis, præſertim libb. Metricis cui-
bet ſit conſtituta, id tamen adſeveraverim, æque Spiritum S.
habere Accentuationem Auctorem, ac reliquæ Scripturæ
Sacræ partes, idque vel hoc argumento, quod ſedulò memini
inſulcatum à Viro Excell. D. Varenio, olim præceptore meo
plus quam Paternâ curâ addicto, à me ætatem obſervando:
quod dentur loca quæ careant Vocalibus & Conſonantibus,
nulla tamen, in quibus deſint Accentus: ex multis delibet
quæſo Benev. Lector Num. c. 7. à v. 14. 2. Sam. 8. 3. c. 20. 23.
Ruth. 3. 5. quæ & alia loca cum reliquerint, uti in Biblijs
ſcripta invenerunt, Maſorethæ, alijq; Judæorum Rabbini,
pro horum invento haberi haud poſſunt. Dignus item qui
de hac re videatur, unicus ille inter Patres Hebraicè doctus
Hieron. in c. 3. Jonæ, ubi ita inſit: *Satis miror cur ita transla-
tum ſit, cum in Hebræo nec literarum, nec ſyllabarum, nec Accen-
tuum*

21
uum, nec verbi sit ulla communitas, unde simul perantiqua
hæc exponendi Scripturas ratio ostendi poterit. Sed in mul-
tis sæpè fallit, adeò quidem ut & contra Regulas datas (quas
tamen à posteriori tantùm firmant) generales, multæ in-
stantiæ observentur conf. Cl. Dieu Animadv. Jes. 21. 1. 2. c. 25.
5. Frantz. Schol. Sacrif. Disp. 6. §. 104. & 10. §. 63. Cocc. in
Job. c. 2. 8. p. 37. 294. 538. Thesau. Buxt. p. 599. Vide sis præ-
terea Tarnov. in Hof. c. 13. 10. Commentarium p. m. 445. &
AbenEsræ verba ad Exod. 25. 31. Magnif. D. Calov. Hospitem
h. t. Paternè devenerand. ad Eccles. 12. 12. ad Psal. 110. v. 3.

XIII. Eccles. 8. 1. (al. 2.) quî non ita verti posset,
prout idem apud Rostochienses Professor laudatissimus
D. Varenius putat. *Ego* (me Regem quod attinet) *os* (præ-
ceptum) *Regis observa*, & *Deus* (Deum quod attinet) *verbum*
juramenti Dei sc. *observa*, inspiciantur saltem verba Textus,
benè observatâ simul Accentuatione & Regula Cl. Buxt. al-
legata, collato Targum & AbenEsræ Comment. qui quoad
prius membrum ferè coincidunt, quoad posterius, sensum qui-
dem sanum exprimit, ex Exod. 5. 7. sed in Accentuationem
impingit: R. Salomo verò nimis longè recedit. quasi ex Psal.
119. 86. prius, posterius ex Deut. 10. 12. 13. exponens. Videatur
item Glas. Gram. Sac. p. 402.

XIV. Sed jam susurrari audio, è diverticulo in vi-
am, cui ut me accomodem, ex præsuppositis do versionem,
Ellipsis, alijsque incommoditatibus carentem, vel si quo-
quo modo Ellipsis concedenda, nomen Conjugatum substi-
tui posse non refragabor scil. *קבורר* vide Psalm. 13. 4.
Num. 11. 14. Dedit (Deus Pater v. 6. 10 Actor. 2. 23. c. 4. 28.)
impios sepulchrum ejus, sed divitem in mortibus ejus: *ô*
Deus: non violentiam fecerat, sive fecit, nec dolus in ore
ejus.

XV. Sensus esset: Postquam Dei Patris summa ma-
jestas per peccatum Protoplastorum ita esset offensa, ut ju-
re meritissimo omnes homines æterno exitio devovere

potuisset, utpote non tantum imitatione peccantes, sed re-
ipsa Adamo se assimilantes Rom. 5. 21. (quicquid ogganiant
Sociniani de uno actu, haditum non constituyente) S. S. Tri-
nitas tamen in suo arcano consilio Rom. II. 34. c. 16. 26. Jes. 55.
8. Col. 1. 26. talem modum adinvenit, quò justitiæ legali sa-
tisfactum foret, homoque gratis justificaretur, non destru-
endo sententiam Legis vel voluntatis suæ Matt. 5. 18. Luc. 16.
17. nec per errorem, in curiam, & iniquitatem impium justifi-
cans, prout inter homines multoties evenit, nec prout est a-
gens liberrimum Hebr. 1. 5. Rom. 10. 13. Act. 13. 38. 39. cum
Deut. 18. 18. c. 5. 29. 25. Rom. 8. 3. Act. 15. 11. sed requirit pro
peccatis satisfactionem ab ipso nocente, plenissimam Rom.
2. 9. Ezech. 18. 20. quales nocentes erant omnes homines,
horum satisfactio cum minus perfecta esset, denominat De-
us Filium Eph. 1. 4. Heb. 13. 8. Apoc. 13. 8. eumque in mun-
dum mittit Gal. 4. 5. Psalm. 40. 8. in carne, ut in illa natura
quæ sub lege erat, fieret satisfactio 1. Petr. 2. 24. Gal. 3. 13.
2. Cor. 5. 21 in eumque quantum ad Justificationis Artic. at-
tinet, transtulit legem, ut talem, cujus satisfactio & obedien-
tia condigna, & undiquaque, perfecta Rom. 8. 3. Luc. 17. 10.
quia θεσπύτης quem per ministerium verbi nobis propo-
nit Deus Rom. 3. à v. 23. ad 27. ut in Extremo Exinanitionis gra-
du constitutum Phil. 2. 7. cujus vigore factus pro nobis non
tantum peccator sc. non ratione Personæ sed Officij Psal.
40. 13. & 69. 6. sed & ipsum Peccatum 2. Cor. 5. 21. maledi-
ctum, Gal. 3. 21. non naturaliter, sed imputatione, ita qui-
dem ut in eo gradu consistens, mortuus, ex decredo Synetrij
Joh. 19. 7. c. 11. 50. non sepulchris honestis inferretur, sed uti
vividus præficatoribus annumeratus Jesa 53. 12. Matth. 27. 17.
ita mortuus in illorum Sepulchris conderetur, quum & Se-
pultura Christi, in & per se, ad Statum Exinanitionis pertine-
at, sitque pars quædam obedientiæ, ac summæ illius humili-
ationis, quam propter nos sustinere voluit Matth. 12. 40.
Phil. 2. 8. Jo. 3. 14. quamvis *Passio cruenta* in cruce consumma-
ta Jo.

ta Jo. 19. 30. interim quia Sepultura *quoad accidentia* debuerat esse gloriosa Jes. 11. 10. (juxta quosdam, nec enim sine rationibus Alij aliter ex Psal. 132. 14.) Josephus Arimatheensis, *homo dives* petijt sibi dari corpus Christi, ne in publicum facinorosorum sepulchrum reponeretur Matth. 27. 57. seqq. nec postea calumniarentur, alium, non! Jesum Nazarænum è sepulchro exiisse vivum; huic supervenit Nicodemus itidem opibus affluens Jo. 19. 39. reponentes eum in monumentum Josephi *justi*, ob Rom. 4. vers. 25. ubi tamen quantum in se, Judæi Resurrectionem impedire percipiunt Psal. 41. 8. 9. Ultimo ergò Propheta exclamat, admirabundus quasi, quî fieri potuerit, ut Deus ita abjectissimè Filium suum proprium, & unigenitum, tractari siverit, cum nulla culpa in eo hæserit: scil. hoc factum, ut eò magis realitatem Passionis, veritatem, fructum & utilitatem ejus, subsequenti seculi hominibus, ob oculos poneret, nimirum cum ipse nec peccato maculatus 1. Joh. 3. 5. Heb. 4. 15. non Obst. Rom. 8. 3. nec peccato, vel graviore (expendatur שמע דuce D. Tarnovio ad Psal. 7. p. m. 163. & in Exercit. p. 604. & maximè Nob. & Rev. D. Well. pag 98. & שמעו quod nunquam nisi in malum usurpatur, teste *Cartwright*, in Gen. 34. 13.) detius, ita ut in actum deducere illud vel tentarit, vel perfecit sive deduxerit, (שמעו Jes. 43. 7.) vel ore prolocutus fuerit Psal. 36. 4. & 52. 6. & 109. 2. nosque imitatores haberet 1. Pet. 2. 21. 22. 23. 14. Ro. 6. 4. Heb. 13. 20. 21,

XVI. Megalander noster, etsi à data versione abeat, Conciliatio tamen hoc modo instituti posset, *ut priora verba* Er ist begraben wie ein Gottloser / intelligantur de loco Golgatha, in cujus vicinia sepultus: hactenus ergò lenita Dei Patris ira, qui non concessit eum tumulari in sepulchris nefariorum; attamen circa talem locum, ubi hujusmodi infames contumulantur, partim quo summa patris ira constaret, partim spontanea passio, vera mors Christi, & plenissi-
ma c-

ma ejusdem pro peccatis, vice nostri satisfactio, patesceret, quâ ea verè expiavit, eluit, sustulit, nosque à Peccatis redemit, sanavit. Pet. 2. 24. partim quo Summa Dei Provintia claresceret, quæ hæc ad Resurrectionem certiozem, illustriorem, & celebriorem reddendam, direxit. *Posteriora* videntur ex **במתיו** facere Infinitivum per Geruntium explicatum, vide Thes. Cl. Buxt. l. 2. c. 20. p. 561. quasi in fonte esset **במתיו** uti Num. 33. 39. c. 34. 7. &c. videatur idem l. 2. c. 17. p. 518. cum potiùs sit nomen cum affixo pluralis numeri 1 formæ **במתיו**, nominavero pro infinitivo poni, uti hic solet, minime insolens, vid. Thes. Buxt. l. 2. c. 3. p. 368 Michlol. fol. 152. Hæc autem verba *und gestorben* &c. si hoc modo intelligantur *da Er gestorben war* / quam proximè in nostram sententiam concedent, quæ particula *Similitudinis* *wie* non *æqualitatis* lenita, & talem sensum posteriora apud quemvis confirmant, dum addit, *wiewohl* &c. quod ex *Pagnino* mutuatum: Tantum abest autem ut **וְעַל** pro *quavis* in Scriptura accipi Philologi observent indefessi: vel: *und gestorben wie ein Ketcher* idem ac si diceres: Et dedit Deus Pater cum divitem in mortibus suis i. e. maxime dives per mortem redditus, quæ divitiæ post modum per semen multiplicatum explicantur v. 10. q. esset **וְאִתּוֹ עֶשְׂרִים** sive **עֶשְׂרִים** ut Job. 32. 2. vel *per* mortes suas, **ב** uti sæpius hunc significatum obtinet. Satis benè ergo se versio Lutheri habet, nec enim animo refutandi, sed inter tot sententiarum divortia meam orbi docto, de que Ecclesia Christi optimè meritis, exponendi animo, hæc chartis commisi, in hoc modestiæ studio Magnif. & maximè Rev. D. Well. p. 97. aliosque imitatus. Benè Ergò de versione Lutheri Amama: *Versionem Lutheri*, inquit, *qui non magni estimat, nã is indignissimus est, qui in nullo sit estimio*, interim Interpres, non Vates haberi voluit, verumque sensum ex fontibus educendi non damnat Tom. 8. Jenens. Germ. fol. 147. *Ob man musste mich angreifen und tadeln?*

deln / das ich zuwessen in der Dolmetschung gefeilet
hette / das will ich mit danck annehmen / denn wie
offt hat Hieronymus gefeilet? &c. in ejus versionem
ergò non immeritò quidam Doctores modestè inquirunt.
De Chaldæo, quod ad hunc locum, meritò usurpaveris
illud: καλῶς τρέχει, ἀλλ' ἐκτος ὄδου. Rabbini autem hic
nyctioracis instar cæcutiunt, quod dudum doctissimè
ex Mercero Nobiliss. & Magnif. Rev. Dn. D. Weller. p. 97.
notavit.

XVII. Jam tandem educimus ex nostro Iesaiano:
Jesum Christ. Jo. 19. 40. 42. θεάνθρωπον Matt. 1. 21. juxta disposi-
tionem S. S. Trinitatis debuisse sepeliri, imò sepultum
esse Psalm. 16. 9. cum Actor. 2. 31. cap. 13. 35. Psalm. 22. 16,
1. Cor. 15. 4. & hoc eo modo ut supradictum in actum
deducendum, non tam prædictum quam Prophetice
promulgatum conf. Matth. 26. 54. Luc. 24. 44. *Sepultus in-*
quam, postquam cruentam, meritoriam, Satisfactoriam,
placatoriam passionem, quæ nos Patri & sibi ipsi, solus,
(non cum eo Maria ut quidam Papicolarum ad Jes. 63. 3.
vel Franciscus, contra 1. Timoth. 2. 5. Gen. 3. 15. Actor. 4.
v. 12.) plenariè Hebr. 9. 12. reconciliavit, Roman. 3. 25.
cap. 5. 10. 2. Cor. 5. 18. 19. 1. Joh. 2. 2. cum Jes. 59. 2. sustinu-
isset & consummasset, Joh. 19. 30. efficienter & sufficienter:
Sed adhuc in Statu Exinanitionis existens, ad quem per-
tinet tota Evangelica historia, ab Incarnatione vel Nati-
vitate ad Sepulturam inclusivè, *totus Christus*, utpote qui
passus, mortuus, resurrexit, intercedit pro nobis, habito
respectu naturarum earumque proprietatum, ex vera, in
ejus persona & reali unione Col. 2. 9. resultantium: sum-
matim dicendo, non *totum Christi* (quæ distinctio, in
Passionibus distinguendis & assignandis, ut locum habet,
non in præsentijs describendis procedit) & quidem
C
Christus

Christus quum mortuus, id est, anima à corpore verè & loca-
liter erat distans Luc. 23. 43. 46. Matt. 27. 60. uno verbo; *mor-*
tuus, naturali unione soluta, non personali, quâ quod
semel assumpsit non sequestrabit: nec præsentia ξ λόγος
vel adessentia ejus, quæ semper operosa, certò & *natura-*
liter vivum Christum in morte esse arguet, nec enim com-
modè vocabulum præsentia (strictè ita dictæ) in negotio
unionis adhibebis, nec à simpliciter ad secundum quid Lo-
gicè & verè colliges.

XIIX. Ex dictis liquet, Sepulturam Christi posse
dici & Meditoriam, Expiatoriam, tota Passione inclusa,
vel seorsim spectata, quam non pro Angelis 2. Petr. 2. 4.
Judæ v. 6. sed pro hominibus *tantum* sustinuit: nil con-
trarij suggerunt Col. 1. 20. Eph. 1. 10. Absint porrò hæ
Propositiones. Divina λόγος natura, in assumpta carne,
juxta & secundum eam est sepulta, vel Deitas τὸ λόγος
est sepulta,

XIX. Sepeliri autem voluit; *non* ob maledictio-
nem Gen. 3. 19. Hebr. 9. 27. Christus enim moriendo
mortem vincere debebat, ita quidem ut non Christus in
morte, sed contra mors in Christo moreretur Hos. 13. 14.
1. Cor. 15. 25. 26. 2. Tim. 1. 10. non Obst. Rom. 6. 9. *nec* ut ca-
daver fieret i. e. ut corruptionem sentiret, Psalm. 16. 9. *nec*
ut in morte Filius Dei esse desineret, filius Diaboli factus
Joh. 8. 44. c. 3. 16. Hos. 1. 7. *nec* ut pro solis, ex absoluto
decreto salvandis, se mortem opetijsse testaretur 1. Tim.
4. 10. *nec* ut mortem sibi dominari ostenderet Act. 2. 24.
nec ut in Sepulchro ad Extremum Judicij diem permane-
ret Col. 1. 18. *nec* ut interea ad Inferos descenderet, ijsdem-
que se victorem monstraret 1. Pet. 3. 18. 19. *nec* ut Patres ex
limbo redimeret, non Obst. Matth. 27. 52. seqq. contra,
urge-

urgemus Scripturæ, de limbo, silentium, & modum fa-
 utis obtinendæ & optentæ, per omnia sub V. T. parem
 Act. 15. 11. Galat. 3. 9. Exemplum Gen. 5. 24. 2. Reg. 2. 11. Ge-
 neralem Spir. S. de omnium credentium morte, clausu-
 lam Apoc. 14. 13. Joh. 5. 24. *nec* ut impiorum futura Resur-
 rectio esset hujus Sepulturæ & Resurrectionis fructus me-
 ritorius Act. 17. 31. Joh. 5. 28. *nec* quasi æternæ mortis pæ-
 nam non sustinuerit: Dan. 8. 24. Jes. 45. 17. Hebr. 9. 10. Ro.
 6. 23. 1. Io. 5. 1. *Sed partim* ut se verum hominem, vere-
 que mortuum demonstraret, ne si è cruce sublatus, in vi-
 tam reductus, ansam accepissent calumniandi, semimor-
 tuum à Discipulis curatum Luc. 18. 31. 32. *partim* ut Typi
 ex veteri in N. T. illati & allegati, (qualis non est Dan. 6.
 16. 17.) Prophetiæ, & Prædictiones implerentur: *partim* ut
 morem Sepeliendi, suo exemplo confirmaret, ut fecit Io.
 2. 1. 1. Petr. 2. 21. Rom. 6. 4. nostraque Peccata simul secum
 consepeliret Dan. 9. 24. tandem gloriosè ex eo rursus pro-
 diret, Patris, & sua virtute Eph. 1. 20. Joh. 10. 18. quum præ-
 cessisset passio, ratione ordinis, non meriti, hoc enim
 non infert Luc. 24. 26. non immeritò ergò D. Gerh. in
 Harm. Evang. Novo Sepulchro infertur, quia novo mo-
 do, propria virtute resurrecturus, sepelitur: & quia no-
 vum nomen & honorem sepulchris nostris sua morte pe-
 perit: Recte etiam Syrus eapropter Resurrectionem no-
 stram futuram appellat נחמנו Joan. 11. 24. Paullus,
 Spem Israel Act. 28. 20. Veteres hujus rei olim tres fines sta-
 tuerunt *Veri probationem* in mortis Christi certitudine:
Spei collationem, in nostræ Sepulturæ Sanctificatione,
 & *Exempli imitationem*, in Spirituali Peccatorum sepe-
 litione.

XX. Tempus Sepulturæ *quoad initium* sc. quando
 sepultus, fuit dies declinans, cum se Sol nondum Hori-
 zonti

zonti subtraxisset, aliàs ipso Sabbatho sepultus contra morem & Legem Judæorum: non in contrarium urgeri poterunt verba Matth. 27. 57. conf. Marc. 15. 42. Luc. 23. 54. quamvis autem accelerata, tamen honestè sepulturam procuratam, insinuatur: *quoad terminum*, vel quantum temporis in sepulchro transegit, stylo Scripturæ fuit triduum, Matth. 12. 40. non contradicit Marc. 8. 31. Matth. 27. 63. tantum temporis tractum verò in ibi exegit, non tam quod in alieno monumento repositus esset, vel quod pauperri- mus Matth. 8. 20. 2. Cor. 8. 9. quàm ex prædictione; integro autem Sabbatho quiescere voluit, quo vera quies nobis per ipsum parta patefceret Ies. 66. 23.

XXI. Meritò subjungit Propheta exclamationem, quasi jam prævidens Judæorum *πλάιν* Matth. 27. 63. qua voce accusant Christi *doctrinam* Marc. 13. 15. 1. Tim. 4. 12. (uti forex se prodentes, Evangelium ab ipso auditum se spontè repulisse Luc. 7. 30. Matt. 13. 14. 15. Act. 7. 5. Ioan. 9. 39. 41.) *miracula* Luc. 7. 14. Io. 11. 43. 44. & alibi cum Matt. 12. 24. Deut. 13. 1. 2. seqq. *vitam*, q. vagabundum eum, pro- clamantes, Io. 7. 52. Matth. 13. 55. Luc. 23. 5. *Dominum*, Pi- latum vocant, ut ejus animum, quum hæctenus sedulò e- jus partes egisse visus esset, planè ab hoc JESU abaliena- rent, hæc Spiritu Prophetico noster prævidens, potius De- um Patrem voce *Supremi* q. Domini compellat, non nesci- us illius Jo. 19. 11. quo & Personæ Christi Patrocinium, suscipit, & ejus innocentiam ultimo membro asserit & defendit.

XXII. Innocentia Personæ Christi est, qua omni omninò Peccato carens, se à primo Conceptionis momen- to, inculpabilem Deo Patri ad Officium Mediatorium sub- eundum exhibuit: tam enim in ortu suo, quam in pro- gressu

gressu absque Peccato inventus; huc spectant tum nostri
Propheteꝝ ultimi membri verba, tum benè ponderanda
Luc. 1. 35. dicta, ubi expressè quod concepit Maria Mater
Domini *Sanctum* dicitur, Conceptus quidem in Maria su-
pernaturali modo, at non è *supernis* ei corpus tanquam
Canali *infundendo*, quod nunquam evincet Io. 6. 51. nec q.
corpus ejus Spiritualis substantiæ, quod nonnulli colligunt
ex 1. Cor. 15. 45. directè enim hanc collectionem impugnat
& refutat Epistola ad Heb. 2. 14. ubi tot argumentorum
pondera quot verba. Insuper, uti verè & realiter carnem
assumpsit, ita & ea quæ carnis sunt propria, per veram &
realem participationem habet, non *ρηματικῶς, σχηλικῶς,*
αίλλοιωτικῶς, ἕστωθῶς, συνεκδοχικῶς sed *ὑποστατικῶς* per
ἰδιοποίησιν ὑποστατικῆν, quod ulterius evincit Heb. 4. 15.
ubi dilucidè satis Peccatum excipitur, conf item c. 7. 26.
Hinc nostri Theologi: Infirmitates nostras Christus susce-
pit, sed *miserabiles* ut esurire, fatigari, non *peccabiles* ut
mentiri, furari: Peccatum enim *vitiosum accidens*, non
pertinet ad naturam, nec est proprietas humanæ naturæ
essentialis, quales proprietates in æternum retinet Media-
tor, Accidentalibus ijs, quas spontè aliquandiu assum-
pserat Phil. 2. 7. Matt. 26. 38. Io. 4. 6. in statu gloriæ depofi-
tis Io. 17. 5. Act. 2. 36.

XXIII. Immunitas à Peccato, uti à primo conce-
ptionis instanti cepit, unde & quatenus homo, proprius,
verus & *naturalis* Deus nominari potest, quanquam non
naturaliter, i.e. non essentia, sed quod à nativitate insit. Col.
2. 9. Ro. 9. 5. ita per totam vitam exerta, in omnibus ope-
rationibus, actibus, institutionibus, miraculis. Ubi si quæ-
dam quasi *Chrie reales* Zelotypiam justo severiorem ex-
hibeant, nostrum erit, illa non in alienum pravum sensum
fidiculis hæreticorum, (abominandis sanè) detorquere,

sed piè ex collatione Parallelorum vel exponere, vel conciliare, quo vel maximè opus habet Marc. ii. 13. 14. (quem locum discursus volente & favente Numine manifestabit) Imò hostes eum nostrum JESUM quoties incusare tentarunt, toties hoc vel manifestum mendaciū compertum, vel ex suorummet verbis, quanquam gnaviter & diligenter in omnes partes pensitarint (תלחשו Psal. 41. 6.) refutatio effatorum in Christum eructatorum adinvenietur, conf. saltem processus Matt. 22. 15. 34. seqq. Verè igitur sanctus, non impu-
tativè vel comparativè ut homines Gen. 6. 9. Luc. 1. 6. vixit, suamque vitam in Sanctitate vera, reali & personali etiam claudens, confitente & attestante hoc ipsum Centurione Matt. 27. 54. ut nos justificati & sanctificati ejus gratia pacem haberemus cum Deo in æternum, conf. Rom. 3. 26. c. 4. 25. tandem etiam Peccatis nuncium remittentes, novitativitæ studeamus Rom 6. 4. Eph. 5. 26. 1. Pet. 2. 21.

Cui serio voto annuat clementer Deus
Trinunus in secula benedictus.

F I N I S.



05 A 626

ULB Halle 3
003 761 630


1077

bd.





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



URA

U

cf. 53.9.

TIO

cademia

IO

& Excellentissimi

Deutschmann D.

Publ. Extraord.

s gravissimi

is semper observandi

ubjicit

OCUS

elb.

M.DC.LXI.

ori

CKARDI,

